

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber IX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER IX.

B E R I X.

V A L E N T I N I A N V S A V G V S T V S E T
M A X I M V S I M P E R A T O R.



RATIANO perempto, Maximus Victorem filium puerum sibi Cæsarem cooptauit, ac Galliam ditioni suæ adiungere properans Ballioni, & Merobaudi, qui duces Gratiani fuerant, in potestatem adductis vitam ademit. Interim Valentinianus in Italia, scæda Gratiani fratris cæde accepta, magno curarum æstuauit incendio. neq; enim solum vicem fratris mortui doluit, sed etiam Maximi potentia ad rationem reuocata, de propria salute

solicitus esse cœpit; veritus scilicet, id quod postea euenit, ne Maximus, Occidente
 20 in suam ditionem redacto, superatis Alpibus, in Italiam se demitteret, ac se ipsum quoq; aduersus tantas opes infirmū Imperij sui parte, ac vita deniq; spoliaret. Itaq; quòd ad bellum gerendum viribus imparem se sentiret, consilio armorum abiecto, pacem sibi postulandam putauit, ac propterea Ambrosium episcopum, virum grauitate, prudentiaq; præstantem ad eum legauit. Ex altera parte Maximus immaturum esse, ante res Galliæ compositas, remq; pecuniariam constitutam, Italiam aggre-
 30 di arbitratus, utiq; pacem cum utroq; Augusto sibi agitandam existimauit. atq; ita prope oratores ad vtrumque de concilianda concordia misit. Ambrosius omnium iniuriarum oblitus, munus legationis haud grauate suscepit, atq; in itinere Victorem Comitem, qui à Maximo ad Valentinianum mittebatur, offendit. Ceterum, cum ad Maximum peruenisset, rogatus, cur Valentinianus ad se, tanquã filius
 40 ad patrem, non accessisset, respondit, aspero hiemis tempore puerum cum matre Alpes incommode transiturum fuisse. se vero missum esse, ut de pace ageret, non ut de Valentiniani officio responderet. Tum ille, Expectemus, quid Victor ab illo responsi fuerat. Ut autè Victor reuertit, accito ad se Ambrosio, Pacem Valentinianus, inquit, accipit, aduentum abnuit. atq; Ambrosio multa de bono Valentiniani erga illum animo prædicante, pacem composuit. Quod ut Bauto militiæ magister accepit, Hunnos, & Alanos contra Iuthungos, qui Rhætias populabantur, accitos iussu Valentiniani, cum Galliæ appropinquarent, auertit in Alemaniam, ne Maximum in suspicionem armorum adduceret. Eodem anno Romæ Symmachus, vrbis præ-
 50 fectus, homo non tam eloquentiæ, quàm Gentilitatis studio clarus relatione senatus nomine ad Valentinianum misit, petens, ut, quod paulo antè agitari cœptum erat, ipse aram Victoriæ reponi in curia sineret. atque impensæ ad sacra faciendâ à Gratiano Augusto sublata restituerentur. Quod ut Ambrosius audiit, proxima, ut ipse inquit, legatione confusus, Valentinianum ab eiusmodi re indulgenda, quæ Gentilitatem reduceret, auocauit. rogauitq; ut sibi relationis exemplum remitteret, ut ei respondere posset. quemadmodum accurate respondit. Legitur adhuc scriptum vtrumq;. Ceterum, cum in Consistorio Valentiniani omnes, qui aderant, Christiani, & Gentiles ea reddenda esse contenderent, solus Valentinianus dissensit, ac, Christianis perfidiæ inculatis, Gẽtilibus ita respondit; Quo modo, quod pius
 50 frater eripuit, me reddere suadetis? cum & religionem læsurus sim, & fratrem, à quo nolo pietatis officio superari? subiicientibus autem illis, patrẽ illius nunquã, ut eas, eriperet, adduci potuisse: occurrit; Patrem meum laudatis, quia non abstulit, nec ego abstuli. neq; idem reddidit, ut me debere reddere, contendatis. & si reddidisset, frater ademit, cuius in hoc genere imitorem me esse malo. nam perinde hic Augustus, ac pater, fuit. & par vtrique debetur reuerentia, & par vtriusque est erga

republicam gratia. In Hispania Gnostici, antequam Gratianus occideretur
 grandi pecunia Macedonio data, obtinuerant, vt cognitio præfecto prætorij Gal-
 liarum Imperiali auctoritate adimeretur, atque Hispaniarum vicario mandaretur.
 missique à Magistro officiales fuerant, qui Ithacium tum Treuiris agentem ad Hi-
 spaniam retraherēt. quos ille callide frustratus, per Pritannium episcopum defen-
 sus, illusit. inde, cum rumor increbuisse, Maximum in Britannia sumpsisse Impe-
 rium, ac breui in Gallias irrupturum, licet rebus dubiis noui Imperatoris aduen-
 tum expectare constituit. Ricimere inde, & Clearcho consulibus, Theodosium
 384 Augustum Constantinopoli positum legati à Sapore Persarum rege, & Maximo
 Imperatore missi, pacem petentes, adiere. neque eæ irritæ legationes fuere. Sa-
 poris cædus datum. Maximo etiam, vt se Augustum, ac collegam suum appella-
 ret, permissum. quin etiam Cynegio prætorij præfecto in Ægyptum eunti manda-
 tum, vt Alexandria imaginem Maximi, tanquam consortis Imperij, poneret. Hæc
 ab vtrisque ad tempus simulata concordia est. V Idus Septembris Placilla vxor
 puerum alterum ei peperit, quem Honorium appellauit, eum, qui post Occiden-
 tale Imperium tenuit. In Gallia Maximus, prouincia in ditionem adducta, sedem
 Imperij Treuiris posuit, atque, exercitu ad occupandam Hispaniam misso, leui
 eam negotio imperio suo adiecit. Quibus rebus ad voluntatem fluentibus vsque
 adeo est elatus, vt fortunæ prosperitatem animo capere non potuerit, ac curis ad
 maius bellum conuersis, cogendæ pecuniæ causa omnia auaritiæ, ac rapacitatis 20
 exempla ediderit. si quidem, vt Pacatus dixit, vacuauit municipibus suis ciuitates,
 impleuit exulibus nobilib. solitudines, perfunctorum honoribus summis virorum
 bona publicauit, capita diminuit, vitam ære taxauit. stabat ipse purpuratus ad lan-
 ces, & momenta ponderum, nutusq; trutinæ pallens, atque inhians exigebat,
 comportabantur interim spolia prouinciarum, exuuiæ exulum, bona perempto-
 rum. hic aurum matronarum manibus extortum, illic raptæ pupillorum ceruici-
 bus bullæ, istic dominorum cruore perfusum pendebatur argentum. numerari
 vbiq; pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi, cuius vt intuenti non Impe-
 ratoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. Quæ dum ille molitur,
 Valentinianus, pace constituta, cadauer Gratiani recuperare cupiens, Ambro-
 sium iterum ad Maximum misit. Ille autem obsequutus, Treuiros properauit, &
 ad Palatium progressus, cum Gallicano eunucho cubiculi præfecto dixisset, esse
 de quibus sine arbitris agere Valentiniani nomine vellet, à Maximo impetrare nõ
 potuit. Quare commotus in Consistoriũ adiit, & Maximo assurgente, vt osculum
 daret, id officij respuit, cõuenire negans, vt in Consistorio episcopus audiretur. cui
 ille iniurias, quas se à Bautone, quas à Valentiniano, quas ab ipso in priore legatione
 accepisse præ se ferebat, cum ab omnibus se delusum exposlaret, euomuit. quæ
 omnia diligenter Ambrosius oratione purgauit, ac necem ei Ballionis obiecit. De-
 mum Gratiani cadauer postulanti ille se daturum negauit, ne dolorem militum re-
 fricaret. cui Ambrosius, Non est, quod de militibus labores, inquit, quid enim mor-
 tuum desiderent, quem viuentem destituerunt? Tum ille se consideraturum sub-
 iccit. mox indignatus, quod Ambrosius episcoporum suorum communionẽ vita-
 ret, ipsum primo quoq; die decedere ex Gallia finibus imperauit. Ita Ambrosius,
 re infecta, Italiam non sine aliqua insidiarum suspitione repetiit, præsertim vero
 cum Hyginum episcopum iam ætate confectum in exilium ab eo traditum com-
 perisset. Reuersus autem legationem scriptis exposuit, Valentinianum monens, vt
 esset cautior aduersus hominem pacis inuolucro bellum tegentẽ. Post paucos dies
 Valentinianus rursus à matre percitus, insanire, ac noua æstare expellendi Am-
 brosij libidine cœpit. Itaq; comitibus consistorianis missis, mandauit, vt basilicam
 nouam, quæ erat in vrbe, sibi traderet. cui respondit Ambrosius, templum Dei tra-
 di à sacerdote non posse. postridie vero, cum præfectus progressus suadere cœpisset,
 vt basilicam Portianam cõcederet, populus reclamauit. ille se Valentiniano re-
 nunciaturum subiecit. tertia vero die, quæ erat dominica Palmarum, Ambro-
 sius, cum in basilica noua operam Officiis diuinis nauaret, certior factus, missos
 ad basilicam Portianam decanos vela suspendere, ac populum eo concurrere,
 tamen

- tamen solemnia missarum iniuit. ceterum, dum offert, raptum audit à populo Castulum presbyterum Arrianum. qua re accepta, amarissime flere, atq; orare in ipsa oblatione Deum instituit, vt subueniret, ne cuius sanguis in caussa Ecclesiæ fundetur, sed suus non solum pro salute populi, sed etiam pro impiis hauriretur. ac, missis presbyteris, & diaconis, hominē exemit iniuriæ. Confestim corpus omne mercatorum multis grauissimis oneratur, ac ducenta pondo auri triduo exiguntur. Sanctis diebus, quibus moris erat debitorū vincula relaxari, carceres negotiatoribus implentur. Palatina officia, hoc est, Memoriales, Agentes in rebus, apparitores diuersorū Comitum à processu abstinere iubentur. Honoratis minæ grauissimæ intenduntur, nisi basilicam traderent. Comites, & tribuni Ambrosium adeunt, ac basilicam propere sibi tradi poscunt, Imperatorem iure suo vti dicentes, quod in potestate eius omnia forent. Quibus respondit Ambrosius, Si Imperator à me peteret, quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, non recusabo; quamquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt. verum quæ Dei sunt, Imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. si patrimonium affectatis, inuadite; si corpus, accurrite. vultis in vincula ducere, vultis ad necem? ludus est. non ego me valabo stipatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo. Horrebat porro animo, armatos ad basilicam occupandam missos audiens, ne, dum basilicam vindicarent, eadem aliquam facerent, quæ in perniciem recideret ciuitatis. orabatq; Deum, ne ipse aut vrbs, aut Italiæ funeri superesset. simul detestans inuidiam fundendi sanguinis, offerebat iugulum suum, ac Gotthos tribunos, qui aderant, sic compellabat: Quo tenditis, aut quid agitis? an vos propterea possessio Romana suscepit, vt publicæ perturbationis ministros vos præbeatis? quo transibitis, si hæc deleta fuerint? Rogatus inde, vt compesceret populum, respondit, sui iuris esse, vt non sollicitaret, Dei, vt mitigaret. si se concitorem turbarum putarent, in se irruerent, aut, in quas vellent, terras abducerent. His dictis, illi abierunt, ipse in basilica veteri totum diem exegit. inde domum cubitum se recepit, vt si quis abducere vellet, paratum haberet. Inde ante lucē, vbi primum limine pedem extulit, basilicā circumfusi milites occuparunt, ac statim Imperatori significarunt, si prodire cum Catholicis vellet, se illi præsto futuros, sin minus, ad eum cœtum, quem Ambrosius cogeret, transituros. Prodire ex Arrianis ausus est nemo, quia nec quisquam ciuium erat. pauci de familia regia accessere, & nonnulli etiam Gotthi. Dum autem lectionibus opera datur, renunciatur Ambrosio, basilicam etiam nouam populo esse refertam. milites autem, qui basilicam obtinebāt, vbi præceptum Ambrosij acceperunt, vt à communionem se abstinerent, statim ad cōuentum eius se contulerunt, denunciantes, se ad orandum, non ad pugnandū venisse. populus autē, clamore edito, postulauit, vt Ambrosius ad illam basilicā se cōferret. ille autem, cōcione instituta, ac, caussa sua probata, se iturum negauit. post autem, cum audisset, cortinas regias esse collectas, & basilicam populo refertam præsentiam sui desiderare, presbyteros suos misit, atque concionari perrexit. Post paulo notarius cum mandatis Imperatoris aduenit, ac, Cur animum induxisti, inquit, vt contra placitum faceres? cui ille respondit. Quid placitum sit, aut quid temere factum dicatur, ignoro. tum notarius: Cur presbyteros ad basilicam destinasti? num tyrannus sis, scire cupio, vt me aduersus te præparem. tum Ambrosius: *Nihil in præiudicium feci Ecclesiæ. tantum quo tempore audiui occupatam à militibus esse basilicam, liberius ingemui, multisque hortantibus, vt eo pergerem, dixi: Tradere basilicam nequeo, sed nec contendere debeo. vbi vero cognoui, cortinas regias esse sublatas, cum eo me deposcerent, misi presbyteros, ego non iui. dixi vero: Credo in Christo, Imperatorem nobiscum facturum. si hæc tyrannis videtur, habeo arma. sed in Christi nomine habeo offerendi mei corporis potestatem. cur cumctaris percutere, si tyrannum existimas? veteri iure Imperia à sacerdotibus donata, non usurpata sunt. & vulgo dicitur, Imperatores magis sacerdotium expetisse, quam sacerdotes Imperium. Christus fugit, ne rex fieret. habemus tyrannidem nostram. tyrannis sacerdotis infirmitas est. cum infirmior, inquit, tunc potens sum. caueat Valentinianus, ne sibi tyrannum constituat, cui Deus aduersarium non parauit. Non hoc Maximus dicit, me tyrannum esse Valentiniani, qui se queritur me a legationis obiectu in Italiam non potuisse transire.*

nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpenumero passi sunt. Hunc in modum totus ille dies in mœrore traductus est. Scissæ ab illudentibus pueris cortinæ sunt regiæ. basilica militum cateruis circumdata, Ambrosius se recipere domum non potuit. itaque psalmos cum fratribus in minore ecclesiæ basilica dixit. Postridie lectus est de more liber Ionæ. quo expleto, sermonem instituit. qui dum habetur, nuncius allatus est, Valentinianum iussisse, ut milites basilicam relinquerent, & ut multæ exactæ negotiatoribus redderentur. Qua re populus exultauit, (erat autem is dies, quo se pro nobis Christus in cruce tradidit, atque in Ecclesia pœnitentia relaxatur.) ac milites accedentes ad altaria osculis pacis insigne significarunt. Valentinianus tamen iram posuisse non est visus. siquidē, cum Comites eum 10 obsecrarent, ut prodiret ad Ecclesiam, idq; se rogatu militum facere dicerent, respondit: Si vobis mandarit Ambrosius, vincitum me tradetis. Quam vocem qui audiuerunt, omnes cohorrerunt. Quin etiam Calligonus præpositus cubiculi Ambrosium sic appellauit: Tu, me viuo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abscindam. Cui Ambrosius: *Deus permittat tibi, ut impleas, quod conaris. ego enim patiar, quod episcopi, tu facies, quod spadones.* Hæc de seipso memoriæ commendauit Ambrosius. Interim, ut addit Rufinus, Beneuolo memoriæ magistro Iustina præcepit, ut aduersus fidem patrum Imperialia decreta dictaret. illo vero se impia verba prolaturum abnuente, celliorem honoris gradum spondit, si mandata perficeret. cui Beneuolus: Quid mihi pro impietatis mercede altiozem promittis gradum? 20 hunc ipsum, quem habeo, auferte, dum integram fidei conscientiam tuear. ac protinus cingulum ante pedes eius abiecit. Ambrosius vero ieiuniis, vigiliisq; sub altari positus, per obsecrationes diuinum sibi, atque Ecclesiæ præsidium inuocabat. Erat illo tempore Mediolani Augustinus Tagastensis, qui postea Hipponensem ecclesiam episcopus rexit. Is superioribus annis ex Africa profectus, rhetoricam Romæ, deinde Mediolani docuerat, atq; Ambrosio cognitus propter ingenij præstantiam acceptissimus fuerat. Itaq; cum assiduis eius concionibus interesset, ex Manichæo catechumenus euaserat. per hos autem dies in Paschate ab eodem salutiferum quoq; baptismatis sacramentum accepit. Proximo inde mense Iunio Ambrosius sancta veterum martyrum corpora reperit, ciuitati ad eam vsq; diem incognita. 30 Fuerunt autem Geruasius, & Protasius, qui sacrum, sæuiente Nerone, martyrium tulerant. quippe per quietem diuinitus est admonitus, ut terram ante cancellos Sanctorum Felicis, & Naboris effoderet. nam ibi martyrum Geruasij, & Protasij reliquias delitescere. pridie igitur Idus Iunias, adhibitis clericis, terram egerit, ac statim martyrum ossa omnia integra, & sanguinis plurimum repperit. qua re cognita, populus frequens accurrit, ac locum per biduum ita celebrauit, ut non solum oculis religionem haurirent, sed vestes etiam certatim ad salutaria ex illo tactu morborum remedia comparanda, iniicerent. Nam multi interim dæmonibus, non pauci suis debilitatibus soluebantur. Quibus beneficiis quantum Catholicorum fides confirmabatur, tantum Arrianorum perfidia minuebatur. Itaq; Iustina, his signis auditis, exterrita tum primum animum flexit, ac seditionem ad deturbandum ecclesia Ambrosium excitatam, remisit. Non deerant tamen, qui apud ipsam in Palatio virtutes martyrum deriderēt, atq; Ambrosium pecunia comparasse homines dicerent, qui se à dæmonibus vexari falso assererent. Quod cum passim linguæ non temperantes facerent, ecce vnus ex ipsa multitudine arreptus vociferari cœpit: Utinam ita torqueantur ij, qui negant martyres, vel qui non credunt Trinitatis vnitatem, quam docet Ambrosius. illi vero hac voce perculsi, cum conuerti debuissent, hominem subito comprehenderunt, ac præcipitem in piscinam dederunt. Ceterum Ambrosius ipsa ossa primo die in basilicam Faustæ, populo lætante, traduxit. Seuerus autem homo oculis captus, vniuersæ ciuitati notissimus, cum gratulationis publicæ causam exegisset, eamq; accepisset, tacita religione repête tactus, eo se duci iussit, & cum sudario feretrum attigisset, idq; oculis admouisset, illico aspectum recepit. Quo factò, Ambrosius cõcionem de gloria martyrum habuit, tertioq; die ea sub altari reposuit, vbi ipse sibi sepulchrum destinauerat, ac cõcionem alteram in eandem sententiã habuit. Vtraq; scriptis eius inserta est.

Huic spectaculo affuit etiam Augustinus, ut ipse in Confessionibus testatum reliquit: *Cum ab Ambrosio baptizatus sum, inquit, annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina Ambrosium persequeretur, quae fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum episcopo suo. Ibi mater mea sollicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus incumberebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus Dei excitabamur tamen ciuitate attonita, atq; turbata. Tunc hymni, & psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus radio contabesceret, institutum est. & ex illo die in hodiernum retentum. Tunc Ambrosio per visum aperuit Deus, quo loco laterent martyrum corpora Protasij, & Gerasij. quae per tot annos incorrupta in thesauro secreti sui recondiderat, unde oportune promerent ad coercendam rabiem famineam, sed regiam. cum multi imbecillit atibus suis essent liberati, Iustinae animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendo in furore compressus est. Eodem anno III Idus Octobris Damasus pōtifex Romae diem suum obiit, in numerum Confessorum ascriptus. In eius locum Syricius diaconus Kal. Ianuarij subrogatus est. Sequenti, in consulatu Arcadij Augusti, & Bautonis, Theodosius Augustus, ut Marcellinus Comes notauit, sauas nationes per legatos Imperio suo subdidit. qui vero hi populi fuerint, neque ipse, neque alius quisquam explicuit. In Italia Valentinianus primos menses Mediolani, reliquos Veronae, & Aquileiae traduxit. Ex omnibus locis leguntur rescripta. quorum vnum huic loco attextendum mihi videtur, datum Nonis Nouembris Aquileiae, eiusmodi: *Quotiescung, ex diuersis prouinciis ad sacrum mansuetudinis nostrae comitatum legationes, quas instruxere decreta. necesse erit commere, in auditorio quidem Celsitudinis tuae vniuersa tractentur, sed ut nullam fidem capiat ordo gestorū. inlibat aq; rerum diuisio singularum nostro auditui, sententiaq; seruetur, ita ut deinceps excellentia tua, cum in consistorio mansuetudinis nostrae secundum consuetudinem ex decretis petitiones legatorum de nostris scriniis recitantur, moram propriis ratione decursa, sententiis, quas pandimus, referat.* In Gallia Maximus eandem, quam ex Pacato rettulimus, tyrannidem exercere perrexit. Treuiris agētem demum Ithacius adiit, ac multa in Priscillianum crimina, ac maledicta coniecit. Quibus Maximus percitus, datis ad praefectum Galliarum, & vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino, quos leuis suspicio labis illius attigerat, deduci ad conuentum Burdegalae iussit, qui, teste Prospero, his consulibus conuocatus est. Ita deducti Instantius, & Priscillianus. quorū Instantius prior causam dicere iussus, postquam se parum purgauit, indignus esse episcopatu pronunciatum est. Priscillianus vero, ne ab episcopis audiretur. Maximum appellauit. idq; temere permissum à Catholicis fuit, ut inquit Seuerus, vnde haec hausimus. debuisse enim eos episcopis iudicium referuare, non Imperatori causam de tam manifestis criminibus permittere. Ita Idacio, & Ithacio accusatorib. sequentibus, omnes ei culpae affines ad Maximum sunt adducti. Ibi, cum forte Martinus adesset, Turronensis episcopus, Ithacium monuit, ut ab accusatione desisteret, Maximum vero, ut miserorum sanguine abstinere. satis, superq; esse, ut episcoporum sententia haeretici iudicati ecclesiis pel-
40 lerentur. noui exempli esse, ut causam ecclesiae iudex seculi iudicaret. Itaq; quoad ille Treuiris fuit, cognitionem inhibuit, & mox discessurus egregia auctoritate à Maximo sponsonem elicit, nihil cruentum in eos constituturum. Sed postea Maximus per Magnum, & Rufum episcopos à mitioribus consiliis reuocatus, causam Euodio praefecto praetorij permisit, viro acri, & seuerō. Is Priscillianum duobus iudiciis auditum, conuictumq; maleficij, nec diffitentem obscenis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium foeminarum egisse conuentus, nudumque orare solitum, nocentem pronunciauit. detrusitque in custodiam, donec Imperatorem consuleret. Quibus rebus cognitis, ille decreuit, Priscillianum, sociosque eius damnari capitis oportere. atque Ithacio inuidiae se instantis iudicij subtrahente,
50 te, Patricium quendam fisci patronum accusatorem apposuit. Iudicio redintegrato, Priscillianus rei capitalis damnatus est, & cum eo Felicissimus, & Armenius, qui nuper à Catholicis clerici Priscillianum sequuti descuerant. Latronianus quoque, & Euchrocia vidua vno ad poenam tracta, ut Pacatus dixit. Afarius, & Aurelius diaconus gladio interempti. Instantius, & Tiberianus in Sylinam insulam deportati. Nardacius, licet minus nocens, sponte se episcopatu abdicauit.*

Tertullus, Potamius, & Ioannes, tanquam viliora capita, & digni misericordia, quia ante quæstionem se socios prodidissent, ad tempus in Gallias relegati. Prisciliano occiso, non solum non repressa hæresis, sed etiam latius propagata est. nam sectatores eius, qui eum prius, vt sanctum honorauerant, postea vt martyrem, colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias delata. Quin & iurare per Priscilianum summa religio fuit. atque inter episcopos discordia grauior exarsit. Postero anno, Honorio, nobilissimo puero, Euodioq; consulibus, Theodosius, vt inquit Marcellinus, inuasam ab hostibus Thraciam vindicauit, victorq; cum Arcadio filio urbem iniuit. Hos vero Grutungos fuisse scribit Claudianus, qui, duce Odotheo rege, Istrum transire conantes, prælio nauali deuicti, atque deleti sint, in primo Honorij consulatu. sic enim inquit:

*Ausi Danubium quondam transmare Grutunni
In lintres fregere nemus. ter mille ruebant,
Per fluium plena cuneis immanibus alni.
Dux Odetheus erat. tanta certamina classis
Incipiens astas, & primus contudit annus.
Submersa sedere rates. fluitantia nunquam
Largius arctos pauere cadauera pisces.
Confessusq; parens Odethei regis opima
Rettulit, exnuuiasq; tibi.*

Eandem vero rem Zosimus his verbis expressit. Promotus magister militum Odotheo cuidam occurrit, maximas copias non solum ex iis, qui Istrum accolabant, sed etiam ex remotissimis regionibus, transmissio flumine, adducendi, & collatis signis, tantam eorum stragem edidit, vt flumen cadaueribus redundaret, & numerus iniri peremptorum non posset. & paulo post: Eo tempore, inquit, natio Scythica, quos Grutungos vocabant, ad Istrum processit. Hi, cum multitudine abundarent, & necessariis armis instructi essent, ac robore corporis excellenter, peragratu interiectorum barbarorum agris, ad ripam Istri venerunt, ac transitum sibi concedi postularunt. Promotus autem magister militum, hac re comperta, exercitum flumini admouit, ac transmissionem eorum morari instituit. mox adhibitos non nullos, qui linguam eorum callebant, ad hostes ire præcepit, pollicitatum, si sibi præmium esset, se eis ducem Romanorum, atque exercitum prodituros. profecti rem ex sententia transegerunt. vbi tempus aduenit, barbari ex pacto nocte intempesta meliorem suorum partem transmittere incœperunt, ac mox alios priorum auxilio sum miserunt. Promotus autem doli compositi auctor, nauium multitudine ad id instructa, eos flumen superare conantes non solum ex aduerso prohibuit, sed etiam ex transuerso adortus, viros prope omnes submersit. inde in mulieres, ac pueros inuectus, prædam eximiam peperit. Theodosius autem, qui non longe aberat, ad eam victoriam inspiciendam progressus vinculis captiuos exemit, eorum opera ad bellum contra Maximum, si opus esset, vsurus. Per eosdem etiam dies alibi quoque res egregie gesta est. Erat oppidum in Scythia Thraciæ parte, quod Tomos vocabant, cuius præsidio præerat Gerontius. Is à barbaris quibusdam militibus, quos Theodosius præmiis, honoribusque prouexerat, contemptus, insolentiam eorum vindicare constituit. ac cum paucis in eos, qui extra urbem sedebant, improviso erupit, & ceteris eum sequi recusantibus, fortissimo eorum milite, qui se primus ad virtutem ostentandam obiecerat, interfecto, ceteros, qui ex muris prælium spectabant, ad exeundum accendit. atque ita aut barbaros strauit omnes, aut in fugam coniecit. quorum plerique in templa Christianorum, quæ violari nefas habebatur, salutis causa se receperunt. Theodosius autem, re audita, rationem ab illo poposcit, cur eos, quos ipse honoribus extulisset, ausus esset attingere, eumque non reip. causa, sed prædæ, inuasisse coarguit. ille vero se ad fiscum omnia retulisse respondit. atq; ita iram Imperatoris euasit. Valentinianus in Italia tanquam superatis demum, fractisq; Catholicis, conueniendi copiam restituit Arrianis, qui Concilium Ariminense complectebantur. Extat adhuc rescriptum eius ad Eufignium præfectum prætorio Mediolani x Kal. Februarias datum, ac temere, & imperite

perite inter Catholica decreta relatum: *Damas*, inquit, *copiam colligendi iis, qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus Diuæ memoriæ Constantij sacerdotibus conuocatis ex omni orbe Romano, expositaq; fide ab iis ipsis, qui dissentire noscuntur, Ariminensi Concilio, Constantinopolitano etiam confirmata in æternum mansura decreta sunt.* In Gallia Maximus post Priscilliani necem Ithacium eius accusatorem, ceterosq; illius socios vi regia tutatus est, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuscunque modi hominem fuisse damnatum. Congregati etiam Treuiris episcopi cum Ithacio communicarunt, auctoresq; Maximo fuerunt, vt tribunos cum summa potestate ad Hispanias mitteret, qui hæreticos inquirerent, & deprehensis vitam, ac bona adimerent.

10 Quo factò non erat dubium, quin plurimos oppressuri innocentes essent. etenim, vt inquit Sulpicius, tum solis oculis iudicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quàm fide, hæreticus æstimaretur. Verum, cum Martinum episcopum ad comitatum venire audirent, veriti, ne aut consiliis suis repugnaret, aut à communionem sua se remoueret; Maximum impellunt, vt, missis obuiam magistri officialibus, Treuiros prohiberet accedere, nisi se cum pace episcoporum apud se consistentium affore fateretur. Cui Martinus respondit, se cum pace Christi venturum. itaq; ingressus yrbem nocte orationis causa Ecclesiam adiit. postridie vero Palatium petiit, vt pro Narsete Comite, & Leucadio præside, qui Gratiani partes perniciosius fouerant, supplicaret, & ne tribuni cum iure gladiatorum in Hispanias mitterentur,

20 vetaret. Ceterum, cum episcopi omnes turpi principem assentatione complecterentur, solus Martinus apostolicam seruauit auctoritatem. nam, cum supplicandum fuit, imperauit potius, quàm rogauit. & à conuiuio eius, licet sæpe rogatus, abstinuit, quòd diceret, se mensæ eius participem esse non posse, qui Imperatorem vnum regno, vita alterum expulisset. cum autem Maximus, se nõ sponte sumplisse Imperium affirmaret, sed impositam sibi à militib. diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, qui tam incredibili euentu victoriam peperisset, nullumq; ex aduersariis, nisi in acie, oppetiisse; tãdem victus vel ratione, vel precibus ad conuiuium venit, mirum in modũ gaudente Maximo, quòd impetrasset. conuiuæ autem aderant, veluti ad diem festum euocati,

30 summi, atque illustres viri, præfectus, idemq; consul Euodius, Comites duo summa potestate præditi, frater eius, & patruus. medius inter hos Martini presbyter accubuerat. ipse autẽ sellula iuxta Maximum posita confederat. medio ferme conuiuio minister de more paterã regi obtulit. ille Martino dari iubet, auide expectans, vt ab illius dextera poculum sumeret. sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, neminem existimans digniorem, qui post se biberet. nec integrum sibi fore, si aut Maximum, aut eos, qui à Maximo erant proximi, presbytero prætulisset. Quin etiam eidẽ Maximo longe antè prædixit, futurum, vt, si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellũ Valentiniانو facturum, primo quidem aduentu victor esset, sed paruo post tempore interiret. Ceterum pro rebellibus orantem Maximus pri-

40 mo, atq; altero die suspendit, siue, vt rei pondus imponeret, siue, quia, vt pleriq; arbitrabantur, bonis eorum inhiaret. Interea episcopi, quorũ communionem Martinus non inibat, Maximum solliciti adeunt, actum esse de suo omnium statu querentes, si Theognisti pertinaciam, qui ipsos solus palam, lata sententia, cõdemnauerat, Martini armaret auctoritas. non oportuisse hominem recipi mœnibus, illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem; nihil actum morte Priscilliani, si Martinus illius vltionem exerceat. postremo prostrati flentes opem eius implorãt, vt vtatur aduersus eum vi sua. Quib. vocibus Maximus adductus, Martinum secreto accersitum blande appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorũ publicorum potius, quàm insectationibus sacerdotum; nõ esse causam, cur Ithacij, ceterorumq; partis eius communionẽ putaret esse damnandã. Theognistum odio potius, quàm causã, fecisse dissidium, eundemq; tamen solũ esse, qui se à communionem se creuerit, à reliquis nihil nouatũ. quin etiam synodum paucos ante dies habitã pronunciaffe, eos culpa non teneri. Quibus cum Martinus minime moueretur, Maximus iracundia incitatus, se de conspectu eius abripuit. & mox iis, pro quibus ille rogauerat, percussores immisit. Quod vbi Martinus nocte cõperit, anxius Palatiũ re-

50

pente irrupit & cum spondisset, si eis parceretur, se communionem vsurum, pro-
 tinus ab eo, quæ cupiebat, est consequutus. postridie vero, cum Felix episcopus
 sacraretur, communionem cum episcopis iniit. neque tamen communionem il-
 lam subscriptione firmare, cum id magnopere peterent, voluit. Tertio inde die
 domum reuertens mœstus, quòd ad horam noxiam communionem inisset, præ-
 gressis paululum comitibus solitario in loco subsedit, causam doloris accusans si-
 mul, atque defendens. cui angelus repente astitit, dicens: Merito Martine com-
 pungeris, sed aliter temet explicare nequisti. collige virtutem, recipe constantiam.
 Post autem, cum quosdam energumenos tardius, quàm solebat, & gratia minore,
 curaret, subinde lacrymans amicis dixit, se propter communionis illius labem de-
 trimentum accepisse virtutis. Imminutam inde virtutis gratiam multiplici merce-
 de recuperavit; nam energumenum ad pseudothyrum monasterij ipsius addu-
 ctum, priusquam limen attingeret, liberavit. Burdigalæ Urbicam Priscilliani disci-
 pulam impietatis in pertinacia permanentem, seditione concitata, vulgus lapidi-
 bus obruit. Valentiniano deinde Augusto tertium, Eutropioq; consulibus, Theo-
 dosius Quinquennalia Arcadij filij magna læritia Constantinopoli celebrauit. atq;
 inde viii Kal. Aprilis rescripsit. Sequitur bellum omnium maxime per hæc tem-
 pora memorabile aduersus Maximum Imperatorem. Huius Maximus ipse fuit au-
 ctor. Etenim Imperij prolatandi sæua cupiditate cæcatus, animum demum ad Ita-
 liam inuadendam adiecit. atque, vt causam belli speciosam haberet, litteras ad
 Valentinianum misit, præcipiens, vt Catholicorum vexatione desisteret, quos pa-
 ter eius eximio studio coluisset; sin minus, bello se eum persequuturum, sciret. Ea
 denunciatione Valentinianus exterritus subito Domninum ad eum Aquileia le-
 gavit, postulatum, vt fœdus secum redintegraret. Maximus astute consilium suum
 occultas, Domninum amice complexus, insignibus muneribus oneravit, atq; im-
 pertito fœdere, militarem etiam manum ab eũti permisit, qua Valentinianus con-
 tra barbaros vteretur, Paannoniæ finibus imminentes. vbi vero eum à se itinere ali-
 quot dierum digressum sensit, relicto in Gallia Victore filio, quem Augusti digni-
 tate ornauerat, vniuersis cum copiis in Italiam iter intendit, custodibus præmissis,
 ne quis præuertens aduentum suum Italiæ nunciaret. mox, postquam Domninum
 iam Alpes superasse audiuit, tum, quanta maxima potuit, celeritate ad Alpes Cot-
 tias properauit, iisq; sine impedimento traiectis, Aquileiam versus ducere institit.
 Quo tumultu prærepto, Valentinianus in timorem sui adductus, quòd vires pares
 ad tantum excipiendum impetum non haberet, suorum monitu repente inde se
 cum Iustina matre proripuit, ac naui conscensa, Thessalonicam accessit, ac raptim
 certiores Theodosium de his rebus omnibus fecit, summis precibus orans, vt si-
 bi ad Italiam retinendam adesset, quàm maturime posset. Hoc Theodosius nun-
 cio perturbatus, primo Valentinianum monuit, in hanc illum calamitatem esse de-
 lapsum, quòd fidem oppugnaret, quam tueri Imperator debuerat. deinde securo
 esse animo iussit; nam se necessitatibus eius non defuturum. Interim Maximus A-
 quileiam progressus, vrbe nullo negotio est potitus. quo facto confestim tota Ita-
 lia, ac subinde Africa in fidem eius, potestatemq; se tradidit. Vnde Gildas Sapiens
 scripsit: *Britannia nomen Romanum, non morem, legemq; tenens, ad Gallias Maximum Im-*
peratoriis insignibus inuitatum misit. Ille callida arte potius, quàm virtute finitimas quoque
prouincias contra Romanum statum regno suo adnectens, & vnam alarum ad Hispaniam, al-
teram ad Italiam extendens, & thronum Imperij apud Treuiros statuens, tanta insania in do-
mos debacchatus est, vt duos Imperatores legitimos, vnum Roma, alterum vitæ expelleret.
 In Italia Bononienses inter ceteros Maximum summo studio receperunt, ac co-
 lumnæ, quæ adhuc ad primum ab vrbe lapidem extat, ipsi, & Victori filio ita in-
 scripserunt: DD. NN. MAG. C. MAXIMO, ET FL. VICTORI PIIS FE-
 LICIBVS SEMPER AVGVSTIS BONO R. P. NATIS. Italia, Africaque re-
 ceptis, quacunque ratione potuit, pecunias tanto gerendo bello necessarias vndi-
 que coaceruare contendit, atque in eis extorquendis misere, fœdeq; populos la-
 ceravit. Per hos menses hæresis noua in Æmilia, & Liguria erat oborta quorun-
 dam, qui sacrarum virginum connubia inducebant. cuius vt certior Syricius pon-
 tifex

tifex factus est, protinus eam, decreto facto, damnauit, atq; auctores eius homines Arrianos notauit. atq; his actis, ad Mediolanensem ecclesiam scripsit, se damnasse Iouinianum, Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Frontinum, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum, qui factas virgines coniugio sociari iubebant: *Nos enim, inquit, nuptias non aspernantes accipimus, sed virginum nuptias Deo deuotas maiore honorificentia veneramus.* ad quem Ambrosius, aliiq; episcopi rescripsere, se item hæresim illam, atq; hæreticos repudiaffe, atq; damnasse. subscripsere autē episcopi Euentius, Maximus, Felix, Bassianus, Theodulus, iussu domini Geminiani episcopi ipso præsentem Aper presbyter, Eustasius, & Constantius. Ex quibus Bassianus Laudensem, Geminianus Mutinensem ecclesiam rexit. atque vterque post in sua ecclesia tumulatus, multis miraculis editis, Sanctorum Confessorum numero est ascriptus. Postero anno, Theodosius iterum cum Cynegio præfecto prætorio 388 consul Theffalonicam cum optimatibus suis accessit. siquidem inde pridie Idus Martias edicta proposuit. Ibi Valentinianum præsentem, opem suam implorantem, acriter obiurgauit, quòd à paterna fide recessisset, atq; Arrianam hæresim tot Conciliorum sententiis profligatam amplexus esset. adeoq; monitis, præceptis, & precibus circumuenit, vt ad Catholicorum partes attraxerit. Inde consilia de Maximo vlciscendo, ipsa etiam præsentem Iustina, peracta. Aliis, vt inquit Zosimus, arma primo quoq; tempore inferenda censentibus, Theodosius in eam sententiam erat 20 pronior, vt ad vitandum ciuile bellum res antè per legatos transigeretur; & si Maximus Italia, atq; Africa vltro cederet, priore diuisione staretur. si eo cõtentus non esset, bello vindicaretur. Nemine autem aduersus eum hiscere audente, Iustina ad eum accessit, atq; adducta secum Galla filia, eximie pulchritudinis virgine, ad genua procubuit, orans, ne Gratiani inultam cædem relinqueret, à quo tantum principatus fastigium accepisset. néve se prostratos, atque omni alia spe destitutos iacere diutius sineret. atq; interea puellam lacrymantem, ac fortunam suam deplorantem ei obtulit. Theodosius vero puellæ specie captus, eam in matrimonium postulauit. (nam Placilla vxor diem suum obierat) eamq; à Iustina accepit, cum eo, vt nullam bello suscipiendo moram afferret. Hoc, vt dixi, Zosimus. quem falsum esse 30 ostendit Marcellinus, qui biennio antè Gallam Theodosio nupsisse notauit. Itaq; placet magis, Theodosium rei indignitate, & Valentiniani necessitate permotum vltro arma sumpsisse. atque hoc ipsum Pacatus etiam innuit, cum, exposita Maximi tyrannide, ita subiecit: *Tandem in nos Deus oculos rettulit, & bonis Orientis intentus ad mala respexit, & hunc sacrario capiti obiecit furorem, vt fœdus abrumpere, ius fetiale violare, bellum edicere non timeret. an ego sine diuino numine factum putem, vt qui sub nomine pacis ludere, & primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum, tertiumq; vexillum latrocinij ciuilis attolleret, & superatis Alpibus, Iulia quoque claustra laxaret, tibiq; Imperator imponeret seruat adhuc venia fidem, vincendo necessitatem? Agebat, credo, precipitem vindicanda iam proximo vltore respublica, & extinctus aperto dominus parricidio 40 pœnas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia, non temeritas, sed necessitas erat, nec vltro laceſſebat te bello, sed vltius negare se supplicio non poterat.* Decreto igitur bello, Theodosius, Cynegio præfecto prætorio mortuo, præfecturam eam Promoto, & vrbanam Proculo eius filio, optimis viris, mandauit. inde magistrum equitum Promotum, peditum Timasium cõstituit. ac delectum omnium gentium diligentissime habuit. primum enim fidem regum, quibus Orientis limes ambiebatur, data, atq; accepta dextera confirmauit, quò foris securius agitaret, si nihil sollicitum, & suspectum domi reliquisset. tum copias tripartito diuisit, vt hostis audaciam multiplicato terrore percelleret, & fugam eius circumfusus ambiret. postremo, barbaris vltro operam pollicentibus, commilitij gratiam fecit, vt limiti manum suspectam detraheret, & militi auxiliatorem adiungeret. Qua illius benignitate pellectæ omnes Scythicæ gentes tantis agminibus confluxerunt, vt quem remiserat suis, barbaris videretur imperasse delectum. Itaque sub ducibus, vexillisq; Romanis ibat, & ad nomen respondebat Gotthus, Hunnus, & Alanus. vrbesq; Pannoniæ, quas inimica populatione exhauserat, miles implebat. Per eosdem dies, Theodosius, dum Theffalonicæ fuit, memorabile iræ, cuius impotēs fuit, exemplum edidit.

Instantibus enim equestribus ludis, populus nobilem aurigam quendam, qui ob læsum hominem in vinculis habebatur, sibi dari poposcit. & cum non impetraret, commota seditione, hominem, qui violatus ab auriga dicebatur, necauit. Qua de re Theodosius ira ardens, durius in omnes consulere voluit, verum ab episcopis, ut se ad lenitatem daret, rogatus, tandem se temperaturum spondit. Post aliquot inde dies, cum res prope ex omnium animis excidisset, nefario domesticorum impulsu illud impotentius, ne dicam vecordius, fecit, quod septem millia hominum in theatrum ludorum gratia conuocata, & quidem innoxiorum, militibus immisis, gladio ferienda, atque necanda mandauit. qua re iudicatum est nihil fœdus, aut crudelius ne à barbaro quidem patrari homine potuisse. Interim barbari quidam, qui ipsi stipendia faciebant, ingentibus muneribus à Maximo de proditione sollicitati, cum rem emanasse sentirent, ab illo discesserunt, & paludes, lacusq; versus in Macedoniam confugerunt. quos Theodosius perquisiuit, ac maiore ex parte repertos peremit. Ita hoc metu liberatus, inde ad iter se aduersus Maximum expediuit, ac Valentinianum cum Iustina in naues impositum, datis, qui tuto deducerent, in Italiam destinauit, certa opinione ductus, Romanos lubentissimis eos animis expectare. Maximus interim, motis Aquileia castris, Alpibus Iuliis superatis, in Pannoniam iniit. ac Patouione capta, & præsidio confirmata, vsq; ad Sauum amnem processit. atque ibi, Sciscia occupata, subsedit. vbi vero certior factus est, Iustinam cum Valentiniano sinum Ionium traiecturam, paratis triremibus, Andragathium ad illos capiendos dimisit. qui, cursu in omnes partes intento, tamen propositum tenere non potuit, quod eos ante aduentum suum Fretum transmisisse offendit. cum autem Theodosium exercitum nauali Italiam recuperaturum putaret, idoneis copiis expeditis, in spem gerendæ rei omnia illa loca circumlustrauit. Theodosius, vbi Maximum in Pannonia superiore ad Sauum esse, ac Scisciam belli sedem cepisse audiuit, ex Macedonia in Pannoniam transgressus, ad Sauum iter intendit, atque ibi castra posuit. inde opportuno tempore amne traiecto, prælij copiam fecit. quam neq; Maximus egressus Sciscia detrectauit. Ceterum Theodosiani, collatis signis, tanta mole pugnarunt, ut repente hostes loco mouerint, motosq; in fugam conuerterint. Ex quibus, qui in oppidum refugerunt, aut fossas cadaueribus oppleuerunt, aut se obuiis sudibus induerunt, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte clauerunt. quorum vero fugam amnis magnitudo inhibuit, ij trepidi, & inuicem complexi per abrupta se in gurgites deiecerunt. inter quos absorptus est illius expeditionis vexillifer. cuius cadauer reperiri non potuit. Hac victoria parta Theodosius Patouionem processit. Ibi Marcellinus Maximi frater sese aduenienti obiecit. Qua re conspecta, Theodosius & ipse instruxit suos. verum, præcipitante iam die, sibi duxit à prælio temperandum. prima vero luce, productis vtrinque castris, mora dimicandi non est facta. neque alia huius prælij, ac superioris, fortuna fuit. Pari fuga hostes propulsi, aut in sylvas se receperunt, aut fœde concisi victoriam Theodosio reliquerunt. Victori hostis à nocte subtractus est. multi summissis vexillis supplices ad Theodosium confugerunt, atque ad terram prouoluti, veniam postularunt. hi omnes à Theodosio benigne recepti. Maximus duplici prælio superatus, fugam capeffuit, ac maxima celeritate Aquileiam repetiit. Quem pari velocitate Theodosius insequutus est. Aduentanti Æmona, quæ prima ciuitas Italiam ingredienti ad radices Alpium occurrit, effusa portis obuiam prodiit. & quod diu à Maximo obsessa nunc demum aduentu Theodosij liberata esset, lætitiæ suæ cumulum declarauit. processere obuiam tripudiantium cateruæ cantu, & crotalis personantes. ante mœnia festus liberæ nobilitatis occurfus, conspicui veste senatores, reuerendi municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes, portæ virentibus fertis coronatæ, aulæis ornatæ plateæ, accensisq; funalibus auctus dies, ut prope, nondum finito bello, triumphare Theodosius videretur. Ceterum, Æmona relicta, Maximum assidue tergis insistens tanto ardore est insequutus, ut vno die Aquileiam accesserit, magna spacia terrarum emensus. quod progressus, confestim vrbi oppugnationem admouit. Ea vero feruente, Maximus infirmitatem suarum virium contemplatus, propter instantis periculi magni-

magnitudinem prope de potestate decessit. Quod ubi milites animaduenterunt, ut ante urbis expugnationem sibi confulerent, ipsum pecuniam exercitui partientem comprehenderunt, ac regis insignibus nudatum, & vincitum ad Theodosium perduxerunt: *Maximus*, ut inquit D. Ambrosius, *destitutus est à suis, quòd ante ipsos expeditionis dies cum audisset, Romæ synagogam incensam, edictum statim eò miserat, quasi vindex publicæ disciplinæ, cum dicerent, Rex iste Iudæus factus est. atque idcirco Sciscia, & Patouione, atq; ubiq; terrarum victus est.* Theodosius ubi Maximum vidit, *Qua fiducia ad arma ciuilia descendisti?* inquit. cui ille respondit, *Fauoris tui obtendi prætextum; neque enim aliter potuissim allicere milites, nisi auctorem mei te finxissem auctorem.* Qua voce audita, Theodosius ira exarsit, nec tamen supplicio alicui tetrici ipsi addixit, sed oculis deiectis, & vultu rubore suffuso, verba misericordiæ plena fecit. Quod ubi ministri eius senserunt, Maximum ex oculis eius abduxerunt, & tertio ab vrbe lapide caput ei à ceruicib. amputarunt. Hæc v i i Kal. Septembris administrata. Maximi clade percepta, Andragathius, qui nauibus sinū Ionium scrutabatur, quòd acerbissima se passurum, & Gratiano à se occiso pœnas daturum sentiret, si in manus Theodosij peruenisset, rebus deploratis omnè belli consilium posuit, ac se è naui in mare præcipitavit, atq; ibi vitam finiuit.

VALENTINIANVS IUNIOR A. SOLVS.

20 **T**HEODOSIUS victoriam insignem haud magno admodum certamine consequutus, Valentiniano ad se reuerso Imperium Italiae reddidit, diligenter monito, ut, consiliis matris posthabitis, idem de Trinitate sentiret, quod à Nicænis patribus constitutum fuisset. atque Honorium filium Constantinopoli euocatum Aquileiæ sibi expectandum putauit. x Kal. Octobris Valentinianus Aquileiæ de iis, qui sequuti Maximum fuerant, sic edixit: *Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio reuocetur.* Scribit D. Ambrosius, Theodosium, Maximi victoria parta, quia hostes in acie strauerat, tamdiu se à sacramentis abstinuisse, donec filiorum aduentu Dei gratiam erga se vigere perspexit. Postquam autem venit Honorius, tum Mediolanum processit. eo vero aduentante, Ambrosius secessit Aquileiam, ne necessario aut infamem eius perfidiam, ac crudelitatem Thessalonicensem turpi silentio comprobaret, aut iram eius iusta obiurgatione accederet, quemadmodum ipse epistola ad eum scripta ostendit. v i Idus Octobris Valentinianus edictum contra Maximum renouauit: *Omne, inquit, iudicium, quod Maximus infandissimus tyrannorum credidit promulgandum, damnamus.* Dū Maximus Aquileiæ obsidebatur, Franci Genobaldo, Marcomere, & Sunone ducibus, superato Rheni limite, in Germaniam inferiorem inuasere, ac, plurimis cæsis, fertiles pagos depopulati Agrippinæ etiam coloniam terrorem incussere. Quod ubi Nannienus, & Quintinus militiæ magistri, quib. Maximus Victoris filij pueritiam, & Galliarum defensionem commiserat, audire, statim cum exercitu Agrippinam accurrere. &, cum Francos graues præda Rhenum traiecisse, plurimis suorum in Romano solo, qui populationem redintegrarent, relictis, inuenissent, collatis apud Carbonariam signis, plerosque deleuere. Consiliis inde, num transeundum esset in Franciam, inquit, Nannienus, ea re improbata, Magunciacum rediit. Quintinus vero cum exercitu circa Niuisium castellum Rhenum transgressus, secundis à fluuio castris casas habitatoribus vacuas, atq; ingentes vicos destitutos offendit. (Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, caudicibus per extrema sylvarum obiectis,) atque vniuersis domibus exustis, milites per noctem sub armis tenuit. prima vero luce saltum ingressus, usque ad meridiem tramitum se erroribus implicans, totum perlustrauit. tandem cum 50 ingentibus septis clausa omnia reperisset, in palustres campos, qui syluis iungebantur, euasit. molientibus hostium rari apparuere. qui, coniunctis arborum truncis superstantes, velut è fastigiis turrium, sagittas tormentorum more effudere, inlitas herbarum venenis, ut vulnera summæ cuti, & non lethalibus locis inflicta haud dubias mortes adducerent. Inde maiore multitudine hostium circumfusis exercitus, in apertos campos, quos liberos Franci reliquerant, aude effusus est.

ac primi equites voraginibus immerſi, permixtis hominum, iumentorumque corporibus, ruina inuicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites autem, quos nulla onera equorum calcauerant, impliciti limo ægre explicantes greſſum, rurfus ſe ſyluis trepidantes abdebant. Perturbatis ergo ordinibus cæſæ legionis, Heraclio Iouianorum tribuno, ac pene omnibus, qui militibus præerant, interfectis, paucis effugium tutum nox, & ſylvarum latibula præſtitere. Maximo inde, quemadmodum diximus, interempto, Valentinianus Arbogaſtem magiſtrum militum in Galliam aduerſus Victorem Auguſtum Maximi filium miſit. atque in locum Nannieni, & Quintini Cariettonem, & Syrum ſuffecit. Non magna res dimicatione confecta eſt. primo aduentu Victor prælio ſuperatus, comprehenſus, atque occiſus eſt. Gallia vniuerſa in fidem recepta, Carietto, & Syrus cis Rhenum aduerſus Francorum exercitum conſtiterunt. Hæc in exitu anni peracta. Itaque poſtero incunte, quo 389 Timafius, & Promotus conſulatum, & Albinus præfecturam vrbis adminiſtrarent, Valentinianus, Iuſtina matre amiſſa, xiiii Kalend. Februarias Mediolano ad præfectum prætorio Galliarum Conſtantianum ſic ſcripſit: *Omnes, qui tyranni uſurpatione prouecti cuiuſlibet acceperunt nomen militum dignitatis, codicillos, atque epiſtolas promere iubemus, & reddere.* Theodoſius inde menſe Iunio cum Honorio filio Romam perrexit, & cum Valentiniano urbem triumphans iniuit, ac pompam ferculorum modo curru, modo pedibus ſubſequutus, nunc de bello, nunc de victoria triumphauit. In curia ſenatum, pro roſtris populum alloquutus eſt. omnibus ſe principem, ſingulis ſe exhibuit ſenatorem. In ſenatu à Latino Pacato, viro eloquentiſſimo laudatus eſt ea oratione, cuius ſæpe meminimus, in qua ille bellum, victoriãque, & triumphum hunc de Maximo celebrauit. Urbem inde luſtrans, non publica tantum opera, ſed priuatas etiam ædes inuiſit. quin etiam congiarium populo dedit, & Victoriæ ludos edidit, & Symmacho viro clariffimo maiſtatis reo, quòd litteras ad Maximum ſcripſerat, veniam impertiuit. & ædes panarias, quas qui adibant, ſæda conſuetudine per occultas inſidias in piſtrina ad ſeruitutem adigebantur, euertit. & pœnas meretricum abrogauit, quibus audiendis praua prætereuntium libido irritabatur. atque inde in exitu anni Mediolanum reſceſſit, cum iam domum epiſcopus repetiſſet Ambroſius. Cum Franci nouas ex Gallia prædas egiſſent, Arbogaſtes non patiendum ratus, Valentinianum monuit, pœnas à Francis expetendas, niſi omnia, quæ ſuperiore anno cæſis legionibus diripiſſent, ſubito reſtituerent, auctoresque belli traderent, in quibus violatæ pacis perfidia puniretur. ac poſt paucos dies ad eos acceſſit, & cum Marcomere, & Sunone Francorum regalibus colloquutus, imperatis de more obſidibus, Treuiros in hiberna reſceſſit. Proximo anno, qui erat à Chriſto nato cccxc, Valentiniano Auguſto iiii, Neoterioque conſulibus, & Albino vrbis præfecto, cum Theodoſius in Paſchate ad templum religionis gratia perrexiſſet, Ambroſius epiſcopus, re animaduerſa, raptim ad fores occurrit, eumque tanquam hominem nefarium ab ingreſſu eccleſiæ repulit, & piorum communionem deiecit, eo nomine, quòd ſe contra fidem epiſcopis datam innoxio ciuium Theſſalonicenſium ſanguine maculaſſet, neque eam labem aliquo adhuc, vt par erat, piaculo publice diluiſſet. Theodoſius autem dolore percitus, lacrimisque perſuſus, nullam vim fecit, ſed domum ſe mœſtiſſimus rettulit. & decimum quintum Kalendas Iulias ad Tatianum præfectum prætorio ita ſcripſit: *Qui ante ſecundum conſulatum manſuetudinis meæ ex ordine curialis, vel preſbyteri ſaſtigium, vel diaconi miniſterium, vel exorciftæ ſuſcepit officium, omne eius patrimonium immune à curialibus nexibus habeatur.* Veronam inde proſectus tertium Nonas Septembris ad eundem ita: *Quicumque ſub profeſſione monachi reperiuntur, deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare iubeantur.* Valentinianus autem aſſiduis Theodoſij præceptis imbutus Catholicam pietatem ita colere cœpit, vt Ambroſium eodem loco, atque honore, quo parentem, habuerit, ac mandata eius diligenter exhauſerit. Ceterum pridie Nonas Martias ad Albinum præfectum vrbis ſic ſcripſit: *Seruos, qui feciſſe violentiam confeſſionibus teſtium, aut propriis docebuntur, ſi inſcio domino commiſerint, poſtremo ſupplicio deditos luere perpetrata cenſemus.* & pridie Nonas Aprilis ad eundem:

Auguſta

Auguste in partibus ciuitatis magis antiqua reddi conuenit, quàm inchoari superuacua. nosse itaque par est officium magnitudinis tuae, & ceteros, à quibus sumptus huiusmodi operibus de arario praebeantur acceptos omnino non ferri, si quis per usurpationem opus praeter conscientiam nostram intra aeternam urbem uoluerit publica conlatione construere. At vero, postquam Natalicia Domini accesserunt, quae Titiano, Symmachoque consulibus in-
 euntibus erant futura, Theodosius, cum per octo menses communione priuatus
 vixisset, iterum cupidine templi adeundi flagrabat, sed spectatam Ambrosij feue-
 ritatem formidans, propius accedere non audebat. Quare animaduersa, Rufinus,
 qui apud illum plurimum valebat auctoritate, negotium Ambrosij placandi susce-
 10 pit. atque, illo conuento, iustum Imperatoris desiderium demonstraui. eumque,
 ut aliquando tandem de pristina sententia cederet, atque ipsum Imperatorem in
 gratiam ecclesiae reciperet, summis precibus obsecrauit. Quas Ambrosius eadem,
 qua antè, constantia respuit, ac se ante millies mortem appetiturum, quàm tan-
 tum dedecus in ecclesia permitturum, respondit. Hoc audito, Theodosius acces-
 sit, & cum ad Ambrosium, qui in Saluatorium venerat, peruenisset, ad pedes
 procubuit, rogans, ut se vinculo ecclesiae solueret, ac sibi poenitenti aditum tem-
 pli concederet. Interroganti vero Ambrosio, quo se poenitentiae genere expiatu-
 rus esset, eo respondit, quod tu iniunxeris. Tum Ambrosius piaculum imposuit,
 atque illum sese, praesente, ac flente populo, expiantem ecclesiae communioni re-
 20 stituit. Hunc in modum de poenitentia Theodosij scripsit in vita S. Ambrosij Pau-
 linus, itemque D. Augustinus Homilia xxxi: *Deus, inquit, voluit, ut Theodosius
 Imperator ageret poenitentiam publicam in conspectu populi, maxime, quia peccatum eius ce-
 lari non potuit. & libro quinto de ciuitate Dei: Quid fuit Theodosij religiosa humilitate
 mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam, episcopis interceden-
 tibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei coharebant, vindicare compul-
 sus est? & ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit poenitentiam, ut Imperatoriam celsitudi-
 nem pro illo populus orans magis fletet, videndo prostratum, quàm peccando timeret iratum?*
 Addidit etiam edictum in eandem sententiam, atque illud Valentiniani, quod su-
 pra posuimus, Ne capitales poenae ab Imperatore iniunctae, nisi post triginta die-
 30 rum spacium, sumerentur. Inde Valentinianus in Galliam, Theodosius in Grae-
 ciam se recepit. Ceterum Thessalonicam progressus, magnum in Macedonia tu-
 multum offendit. quotquot enim barbari intra paludes, & proximas syluas abditi
 ex prioris Romanorum expeditione salui euaserant, Italicis Theodosij occupatio-
 nibus excitati, Macedoniam, Thessaliamque effuse, nullo resistente, populaban-
 tur. Theodosio vero Thessalonicam regresso, in loca se abdita contulerant, atque
 illucescente die erumpentes, proxima omnia loca infesta habebant, & se statim in-
 tutum referebant, ita ut vnde id mali manaret, non appareret. Itaque, re ad disqui-
 sitionem consilij reuocata, ipse cum equitibus ad ea loca explorandi causa pro-
 cessit. cum autem in domum anus cuiusdam pernoctandi gratia diuertisset, ibi bar-
 40 barum exploratorem repperit. quem captum tormentis admotis omnia sibi bar-
 barorum consilia, atque acta referre coegit. Itaque, adducto inde ad ea loca, quae
 ille indicarat, exercitu, omnes prope primo aduentu oppressit. Qui superstites
 fuerunt, cum exercitum Theodosij labore fatigatum, & curatis corporibus somno
 mersum animaduertissent, impetum in illum fecerunt. quin etiam ipsum Impe-
 ratorem oppressissent, nisi quidam, qui nondum cibum ceperant, cursu ad ten-
 torium capto, periculi imminentis admonuissent. qua re cognita, omnes fuga sa-
 lutem sibi petere contenderunt. Promotus autem, iussu Theodosij, barbaris se ob-
 iecit, ac tantam eorum stragem edidit, ut paucos incolumes reliquerit, qui se rur-
 sus paludibus abdidit. Theodosius inde Constantinopolim profectus IIII
 50 Idus Nouembris urbem cum filio iniit, ut Socrates scripsit. ac varia spectacula edi-
 dit, & Rufinum multis honoribus extulit, in primis vero cum Arcadio Augusto fi-
 lio in insequentem annum consulem declarauit, licet Promoti nece vulgo infamem.
 quem iussu Theodosij in Thraciam contendentem per barbaros quosdam
 in insidiis constitutos dicebatur interfecisse. Qua impunitate elatus, postea in con-
 392 sulatu Tatiano praefecto praetorij, & Proculo praefecto urbis iudicium intulit, atque

illi præfecturam, huic vitam iudicum sententiis abstulit. In Gallia Valentinianus certior factus, barbaros Italiæ finibus imminere, de Italiæ quiete sollicitus, Gallico otio relicto, ad eam redire, & sese periculis omnibus obiicere statuit. atq; ita Viennam accessit, vt inde ad Alpes, expeditis belli consiliis, properaret. Erat apud ipsum Arbogastes Comes, & magister militum. Hic secundum à Bautone duce locum à Gratiano Augusto consequutus, post excessum eius primas sibi iniussu Valentiniani ascieuerat, ac fauore militum, quòd rei bellicæ gnarus, fortis, & pecuniæ contemptor esset, magnas opes adeptus, libertatem in Valentinianum immodicam exercebat, ita vt quæ ipse non probaret, etiam si recta essent, omnino fieri prohiberet. Nec Valentinianus, licet hoc iniquo animo patiens, remedium inire idoneum poterat, quòd ille militum beneuolentia septus erat. Itaq; cum illo de traiectione in Italiam aduersus barbaros colloquutus, ac voluntati suæ reluctantem nactus, iram vsque adeo non tenuit, vt, educto ense, illum percutere nisus sit. sed à familiari, extorto è manibus gladio, prohibitus, ipsum verbis asperiorib. obiurgauit. inquirenti inde, cur tam acerbe sæuiter, allaturum sibi manus respondit, si, cum esset Imperator, voluntati obsequi suæ non posset. & vt addit Zosimus, cum quodam die Augusto in folio assideret, toruis oculis aduenientem aspiciens, libellum, quo ei potestatem abrogabat, porrexit. quo lecto, Arbogastes accensus, Nec potestatem mihi, inquit, dedisti, neque eripies. Hac de causa capitalibus subortis inimicitiis, Arbogastes illum Viennæ prope habuit in obsidione. nam primum obsequiis omnibus regis nudauit, ac pene infra priuati modum redegit, & rei militaris curam Francis satellitibus tradidit, & ciuilia officia aduersus eum sollicitauit, ita vt pauci relictæ essent, qui familiari eius sermoni, aut iussis obtemperare auderent. Quod vbi sensit Valentinianus, litteras ad Theodosium misit, obsecrans, vt sibi auxilio esset. simulq; iureiurando affirmans, se, nisi ab eo adiuuaretur, primo quoque tempore ad illum aduolaturum: Ceterum, cum barbarorum aduentus in Italiam timeretur, Ambrosius episcopus ab Honoratis ciuitatis rogatus, vt legatus ad Valentinianum proficiscens, illum in Italiam inuitaret, se iturum promisit. sed postridie, acceptis litteris, mansiones instrui, ornamentaq; inuehi, quæ proximum Imperatoris aduentum significabant, Honoratorum voluntate substitit. Cuius autem rumor sub-
to Viennam pertulisset, Ambrosium inuitandi regis ad Italiam gratia Viennam esse venturum, Valentinianus lætitia ingenti elatus est, quòd videbat, aduentum eius rebus suis opportunissimum esse futurum. Cunctante inde Ambrosio, litteras ad eum magna celeritate perferendas curauit, rogans, vt sine mora ad se contenderet, non vt interesset synodo Gallorum, sed vt in ipsa egressione se sanctæ ablutionis sacramento initiaret. Atqui magnam ille spem salutis suæ in Ambrosij moderatione, ac sapientia collocarat, confidens fore, vt oratione sua Arbogastem sibi placaret, atque ad saniora consilia reuocaret. Itaque, litteris lectis, Ambrosius statim iter ingressus est. verum, cum iuga alpium superasset, ipsum interfectum fuisse accepit. Ceterum Arbogastes illi hoc modo vitam eripuit. Imperio spe deuorato, eunuchos Valentiniani cubicularios maioris promissione mercedis, atque honoris in eius pernitiè incitauit. Ita illi ab ipso edocti, cum Valentinianum aut dormientem, vt quidam scripserunt, aut certe solum, & inermem, dum ludicrum militare intentus è fenestra spectaret, nacti comprehenderunt, ac nemine alio ex ministris aulæ præsentate, illis faucibus, strangularunt, & ne, inquisitione facta, deprehendi possent, velo gulæ alligato, quasi semet ea morte multasset, sublimem suspenderunt. Epiphanius episcopus Salaminius ipsum in Palatio suffocatum inuentum esse scribit Idibus Maij pridie Pentecostes, ac postridie sepulturæ mandatum. Is annum tantum vicesimum erat natus, iuuenis vel ipsius Ambrosij testimonio omnibus tum corporis, tum animi bonis ad Imperij magnitudinem sustinendam instructus ita, vt etiam in omni genere virtutis paternas laudes videretur esse superaturus. Hoc scelere perpetrato, Arbogastes Imperium sibi asciscere propter barbariam, impietatemq; nõ ausus, ad alterum transtulit. Erat in castris Eugenius quidam homo paganus. qui ludum primum litterarum habuerat, deinde stipendia in aula meruerat, inde scriba, & quæstor factus, magistri dignitatem ab Imperatore fuerat consequutus.

Ad hunc

Ad hunc igitur, quem participem consiliorum de nece Valentiniani habuerat, Arbogastes Imperium detulit. Zosimus ipsum ab Arbogaste compulsam, alij vero à Flauiano præfecto vrbis prospera omnia euentura ex ariolorum prædictione pollicito, euectum prodiderunt.

EUGENIUS IMPER.

EVGENIUS igitur ab Arbogaste Augusti dignitate ornatus, ad illius arbitrium omnia administrans, statim ad firmandas opes ingentem exercitum partim ex Romanis, partim ex Gallis confluxit, & Galliam in deditioem adduxit. Hæc in
 10 Italiam, & in Orientem nunciata, mirifice omnium animos, ac pectora vulnerarunt. In primis vero Theodosius doluit, vbi se consortem Imperij ætate florentem, atque affinitate coniunctum amisisse, atque Imperium ad alienos, eosq; indignissimos recidisse audiuit. cuius luctum Galla vxor assidua comploratione accendit. Cadauer Valentiniani à fororibus eius mercede redemptum, ac Mediolanum, vt sepulturæ mandatetur, translatum est. sic enim scripsit D. Hieronymus epistola
 20 tertia: *Adolescens Valentinianus, ac pene puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium haud procul ab vrbe fraterna mortis conscia necatus est, & cadauer exanime stipendio infamatum. Quo cognito, Theodosius litteras ad Ambrosium misit, rogans, vt sepeliendum curaret. ad quas Ambrosius ita rescripsit: Doleo vehementer,*
 30 *non solum, quod immatura morte Valentinianus A. decesserit. sed etiam, quod informatus fide, ac tuis institutis tantam deuotionem erga Deum nostrum induerat, atq; tanto in me incubuerat affectu, vt quem antè per sequebatur, nunc diligeret, quem antè vt aduersarium repellerebat, nunc vt parentem putaret. Quod ego non recordatione iniurie veteris exprompsi, sed pro testimonio conuersionis. illud enim alienum, hoc suum. quod alte infusum sibi ita tenuit, vt matris per suasionem excluderet. ille se à me nutritum præ se ferebat, me vt sedulum patrem desiderabat. ille, simulato à quibusdam aduentus mei nuncio, impatienter præstolabatur. Quin etiam illis ipsis publici doloris diebus, cum sanctos, & summos sacerdotes domini intra Gallias haberet, vt à me tamen sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratu est. Quod etiam si non rationabiliter, amabiliter tamen suum erga me studium testificatus est. Hunc ego*
 40 *non doleam, cui integrum, antequam sacramentorum, quæ desiderauit, adipisceretur gratiam, repentina morte obuisse? Refrigerasti animum, quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium dolori. Nunc de sepultura eius quoniam scripsit clementia tua, ita hic procurandum, sed exorsus excessit baptismatis. quid cognouerim, non repressi. Est hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in vsu huiusmodi aptissimum. Nam & Maximianus Diocletiani socius ita humanus est. sunt tabule porphyreticæ preciosissimæ, quibus vestiebatur operculum, quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat preparatum, sed expectabatur rescriptum clementiæ tuæ. cuius perceptione recreatæ sunt sanctæ filie tuæ, filij tui Valentiniani sorores. quæ se grauibus afficiunt modis; & amplius exagitabantur, quod nihil scriberetur sibi. Vnde iis non parum accessit solatij, sed dum inhumatæ sunt reliquie, nequaquam sibi parcunt. videntur enim sibi germani sui funus quotidianum videre. Et re vera, cum sine fletu magno, ac sine dolore graui nunquam sint, tamen quotiescunque eò accedunt, exangues reuertuntur. Et ipsis igitur consulitur, & carissimis exuuiis, si acceleretur sepultura, ne astino penitus soluantur calore. vix enim superiorem astatem transegimus. Ex voluntate igitur Theodosij funus celebratum, & cadauer Mediolani sepulturæ mandatum est. Iustis solutis, Ambrosius laudationem scripsit, quam postea quoque edidit. in qua inter alia hæc posuit: Conuersi sunt dies nobis votorum nostrorum in lacrymas. si quidem Valentinianus nobis, sed non talis, qualis sperabatur, aduenit. Et iste quidem vel morte sua voluit adimplere promissum, sed nobis acerbissima facta est eius, quæ exoptabatur, præsentia. Utinam adhuc nobis abesset, vt sibi viueret. sed ille non passus, cum audiret alpes Italiæ hoste infestari
 50 *barbaro, maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quàm nostro deesse periculo. Magnum discrimen agnoscimus Imperatoris, quod Romano subuenire voluit Imperio. Hæc causa mortis, quæ plena laudis. Soluamus bono principi stipendiarias lacrymas, quia ille nobis soluit etiam mortis suæ stipendium. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos ille de Gallis vsque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? omnes enim non**

tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obiisse domestico fletu doloris il-
 lacrymant, suamq; omnes funera dolent. Amisimus enim Imperatorem, in quo duo pariter acer-
 bant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus. Audite omnes populi, & vi-
 dete dolorem meum, Virgines meae, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem, sed cognito,
 quod ex Valentiniani essent partibus, liberi reuerterunt. Militauit hostis barbarus Imperatori
 adolescenti, & sua oblitus victoria, memor fuit Imperialis reuerentia. Laxauit sponte quos
 ceperat, excusans, quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus. Va-
 lentiniani gratia non expectauit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres niuium, sed Al-
 pes, & fluuios supergressa, muro nos sui Imperij protexit. Valentinianus errorem iuuentutis
 ante correxit, quam disceret esse lapsum alicuius erroris. Ferebatur primo ludis Circensibus
 delectari. sic istud absterfit, ut ne solemnibus quidem principum natalibus, vel Imperialis ho-
 noris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Atabant aliqui, ferarum eum venationibus oc-
 cupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci. omnes feras uno momento iussit in-
 terfici. Iactabant inuidi, quod praemature prandium peteret, cepit ita frequentare ieiunium,
 ut plerunque ipse impransus conuiuium solemnem suis Comitibus exhiberet, quo & religioni
 sacra satisfaceret, & principis humanitati. Scenica cuiusdam forma, ac decore deperire Ro-
 mae adolescentes nobiles nunciabantur, iussit eam ad comitatum venire. Missus precio deprauatus
 sine mandati effectu rediit. alterum misit, ne uoluisse emendare vitia adolescentum, &
 non potuisse, videretur. Datus est obirectandi aliquibus locus. deductam tamen nunquam
 aut spectauit, aut vidit. postea redire precepit, ut & omnes agnoscerent, irritum eius non esse
 mandatum. & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare. quam ipse, qui potuit ha-
 bere in potestate, despexerat. Et hac fecit, cum adhuc non haberet uxorem, & tamen exhi-
 beret suis tanquam vinculus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quam ille corporis,
 fuit? quis tam aliorum arbiter, quam ille suo censor atatis? Quid de pietate eius loquar? qui
 cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, que cito mouere solet inuidiam regia
 cupiditatis, accusator urgeret, praefectus insisteret, respondit, ut nihil cruentum sanctis praesertim
 diebus statuereur. O iuuenis optime, utinam te uiuentem inuenire potuissem, uti-
 nam te dilatio aliqua meo reseruasset aduentui. quanta ego cura inter te, & Comitum tuum,
 quanta sedulitate concordiam, & gratiam refudissem? quam me ipsum pro tua obtulissem fi-
 de, quam in me ipsum eos recepissem, quibus ille se timere dicebat? Ceterum, si Comes non es-
 set inflexus, tecum remansissem. Nunc quid habeo, quod melius faciam, quam, ut tibi lacry-
 mas pro tanto tuo in me affectu rependam? Ego te suscepti paruulum, cum legatus ad hostem
 tuum pergerem. ego iustinae maternis traditum manibus amplexus sum. ego tuus iterum le-
 gatus repetiui Gallias. & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pa-
 ce, atque pietate, qua fraternas reliquias postulabas, non dum pro te securus, & iam pro fra-
 ternae sepultura honore sollicitus. Multa alia in hanc sententiam addit, quae longa sunt
 ad repetendum, & ipsa omnibus est in promptu oratio. Dum haec Mediolani agun-
 tur, Theodosius Constantinopoli easdem curas, quibus, occiso Gratiano, iactatus
 fuerat, secum volutare animo cepit. Fuere, inquit Rufinus, nonnulli sacerdotes,
 qui pacis ab Arbogaste legatione suscepta, immunem esse Arbogastem a nece Va-
 lentiniani apud Theodosium affirmarint. Theodosius autem, belli consilio non-
 dum expedito, legatum Eugenij Rufinum Atheniensem ad se missum, ut animum
 exploraret, rogaretq; num se aequo animo imperare passurus esset, incerto, ac per-
 plexo responso dimisit. Extremo anno Arbogastes, quietam obtinens Galliam, Su-
 nonem, & Marcomerem subregulos Francorum odio auito infectas, Agrippinam,
 iam saeuente hieme, petiit, ratus tum omnes Francia recessus penetrari posse, cum
 decussis foliis nudae, atque aridae syluae occulere insidiatores non possent. inde cum
 exercitu transgressus Rhenum, Brueteros ripae proximos, & pagum Aetiam, quem
 Chamau incolunt, populatus est, nemine usquam occurrente, nisi quod pauci
 ex Ampsiariis, & Chattis, Marcomere duce, in vltioribus collium iugis se of-
 tendere. Postero anno, quo Theodosius IIII consul cum Abundantio fuit, Euge-
 nium impetus cepit Italiam occupandi, parum memor, quinam Maximum idem
 tentantem excepisset euentus. verum eum Flauianus, homo vaticiniis Gentilium
 deditus spe victoriae certae inflarat. prius tamen Germanos nouis sibi foederibus ob-
 ligandos ratus, ne, se ex Galliis profecto, Rheni limitem hostiliter incurfarent, ad
 flumen

flumen progressus, ingentes, quas Italię causa parauerat, copias Francorum, atque Alemanorum gentibus ostentauit. atque ita eos ad vetera redintegrandæ fœdera perpulit. Tum vero in conuiuio Arbogastes à regibus Francis rogatus, num episcopum Ambrosium nosset, Noui, inquit, atq; ei carus sum. cui illi: In hoc profecto vincis omnes, quòd ab illo viro diligeris, qui dicit soli, Consiste, & cōsistit. Germania pacata, Eugenius in Italiam cum Arbogaste transgressus est. Qua re accepta, Ambrosius episcopus urbem Mediolani reliquit, & sese Bononiam contulit, ea re maxime perturbatus, quòd Eugenium acceperat, Flauiano vrbs præfecto, & Arbogaste Comite contendente, permisisse, vt ara Victoriæ, & sumptus cæremoniãrum repeteretur. quòd ne fieret, sua auctoritate Valentinianus vetuerat. Bononię vero cum esset, diuino monitu corpora Sanctorum martyrum Vitalis, & Agri-
 10 colæ tum ciuitati incognita in solo Iudæorum iacentia repperit. eaq; cum magna populi gratulatione in ædem S. Stephani, quæ nunc etiam visitur, transtulit. Discedens inde Bononia Fauentiam, atque inde Florentiam à ciuibus inuitatus, perrexit, atque ibi partem sacrarum, quas Bononia eruerat, reliquiarum reposuit, basilica ipsis martyribus consecrata, & puerum mortuum in vitam restituit. Interim vero Eugenius cum Arbogaste, & Flauiano Mediolanum inuit. quo facto reliqua inde Italia sese illius potestati permisit. Eodem anno Theodosius Constantinopoli III Idus Ianuarij Honorium filium, eodem modo, quo antè Arcadium, appellauit Augustum, & consortem vna cum Arcadio Imperij Orientalis
 20 accepit. Ea res ita celebrari (vt antè diximus) assueuit, vt milites acclamantes Imperatorem in scutum leuarent, & per castra circumferrent. Quod tum factum scribit Claudianus, Honorium alloquens:

Nec dilatus honor, mutatur principe Caesar.

Protinus æquaris fratri, nec certius vnquam

Hortati superi, nullis præsentior æther

Affuit omnibus, tenebris inuoluerat atris

Lumen hyems, densosq; nothus colloerat imbres.

Sed, cum mox solita miles te voce leuasset,

30 *Nubila dissoluit Phœbus. pariterq; dabantur*

Sceptra tibi, mundosq; dies caligine liber.

Post hæc certior factus, Eugenium, superatis Alpibus, vna cum Arbogaste in Italiam transcendisse, atque, terrore omnibus inculto, ad deditonem adegisse, haudquaquam sibi dubitandum putauit, quin serpenti incendio occurreret, atque vna, & Valentiniani mortem, & seruitutem Italiæ vindicaret. Ceterum de euentu belli sollicitus, quòd Eugenius omnibus rebus necessariis dicebatur esse paratissimus, primum sibi diuinam, deinde humanam exposcendam opem existimauit. Itaq; ieiuniis, vigiliisque perfunctus, cum sacerdotibus, & populo templa omnia supplicabundus obiuit, atque ante martyrum, apostolorumque sepulchra cilicio indutus
 40 procubuit, ac fida Sanctorum præsidia implorauit. Quin etiam Ioannem monachum in Thebaide vaticinij laude florentem sibi consulendum putauit, cuius responsa proximo Maximi bello vera fuisse cognouerat. atq; Eutropium eunuchum in Ægyptum misit, vt aut virum sanctum ad se adduceret, aut de belli, quod animo moliebatur, euentu consuleret. Ioannes autem, cum venire abnuisset, voce oraculum edidit, ac victoriam illum relaturum, verum non incruentam, respondit. Qua voce Theodosius excitatus, alacri inde, atque erecto animo sese ad humana & pecuniarum, & virorum, equorumque præsidia comparanda conuertit. Cum autem propterea Antiochiæ tributa acerbis à præfectis exigenterent, populus
 50 vsque eo furore prouectus est, vt, concitata seditione, statuas Imperatoris deiecerit, atq; vna ipsum probris, ac maledictis incesserit. Quare vix ab eo irato, atq; infenso Flauiani episcopi precibus veniam, cum supplex, atq; ad pedes prostratus petisset, obtinuit. Interim Romæ Flauianus præfectus vrbs, qui magnam veteris auguralis scientiæ inter suos habebat opinionem, auctor erat Romanis, vt sacrificia instaurarent, victimas cæderent, extra pecudum inspicerent, quibus non tam deos propitiarent, quàm futuri belli euentum perciperent; Eugenio autem glorio-

394 *issimam victoriam, & Christianæ religionis ruinam temere promittebat. Arcadio inde III, & Honorio I I Augustis consulibus, Theodosius omnes gentes, quibus expeditionem indixerat, conuenire Constantinopolim iussit, inter quas ingentes Gotthorum, Alanorum, & Hunnorum cateruæ erant; ac duces eis præposuit, Romanis quidem copiis Timasium, & Stilichonem, hominem Vandalum, qui Serenam fratris sui filiam habebat in matrimonio; barbaris vero Gainem, Saulem, & Bacurium. Inter Gotthos, qui ordines sub eo duxerunt, insignis Alaricus fuit, is, qui postea urbem Romam cepit, & primus barbaros ad Italiam peruastandam inuenit. Inde, amissa ex partu vxore Galla, Rufino, qui filios, atque aulam moderaretur, in vrbe relicto, Constantinopoli exiit. atque in templo ad Septimum votis D. Io-¹⁰ anni Baptistæ factis, vt ea expeditio bene, ac feliciter sibi, ac reip. eueniret, in Pannoniam iter intendit. Hac re cognita, Eugenius Theodosio sibi potius in vestibulo Italiæ occurrendum, quàm in penetralibus excipiendum putauit. Itaque, cum adhuc ille in itinere esset, vna cum Arbogaste, & Flauiano Mediolano egressus est, iureiurando affirmans, se, victoria parta, stabulum in basilica Mediolanensi facturum, & sub armis clericos probaturum. Quod vt Ambrosius audiit, extemplo è Tuscia Mediolanum reuertit, spe sua in Deo defixa, nequaquam permissurum, vt credentem in se hominibus impiis traderet. Eugenius Aquileiam progressus, castra posuit in campo ad fluuium nomine Frigidum, qui ab ea triginta millibus passuum distat. ac Iuliarum Alpium angustias, per quas tritus est in Italiam transitus,²⁰ valido præsidio sepfit. Theodosius autem, peragrata Pannonia, ad Iulias Alpes prouectus, præsidio ex saltu deiecto, & Flauiano, cum euadere potuisset, extincto, fauces ipsas contra opinionem hostium occupauit, ac, superato sine labore iugo, sese in campos VII Idus Septembris demisit. atque extemplo pugnae copiam fecit. ardentibus ex vtraque parte pugnandi cupiditate militibus sine mora instructæ acies, præliumque commissum est, cum Eugenius vexillum Hercules, Theodosius vero Christi inferret. Ceterum, cum duo aciei cornua Theodosius effecisset, atque in vno Romanas legiones, in altero barbarorum auxilia collocasset, factum est, vt Romani cum Romanis ancipiti certamine depugnarent, barbari vero loco moti ab Eugenijs scædissima strage conciderentur. Quod vt Theodosius sensit, veritus,³⁰ ne simul à nonnullis, quos in monte à tergo collocatos animaduertit, durissimo suo tempore præmeretur, protinus ante aciem solus, vt omnes videre, atque audire possent, in terram proiectus supplex Dei auxilium inuocauit, Adesto mihi Domine, inquit, ne quando gentes dicant, vbi est Theodosij Deus? Quo voto perfecto, multiplex subito Dei subsidium se ostendit. nam duces exercitus, qui montem infederant, nuncium ad eum miserunt, pollicentes, se transituros, si sibi venia, atque honos apud illum esset. quam conditionem ille accepit, & vt in tanto tumultu potuit, sacramento firmavit. ita omnes sese ad Theodosium contulerunt. Bacurius vero, qui barbaris præerat, collecto animo, prælium instaurauit, ac tanta mole se in hostes incitauit, vt magna ex parte aut in fugam dederit, aut occidione⁴⁰ occiderit. Feruebat tamen adhuc in ceteris partibus vtrinque pugna. atque Eugenius victoriæ certus, suos interequitans ad constantiam hortabatur, illud identidem vsurpans, se pro certo habere, Theodosium mox desperatione rerum sibi manus allaturum. monere autem, ne illum occiderent, sed viuum ad se perducerent. Tum vero ventus sæuissimus ortus, qualem nunquam antè spirasse constabat, in ora hostium tanto impetu irruit, vt ordines eorum turbarit. In quo illud fuit mirabile visu, quòd tela, & sagittæ, quæ contra Theodosianos emittebantur, in eos, qui miserant, à vento reiciebantur, & clypei manibus rapiebantur, & scissis loris, in eorum ora prouoluebantur, & oculi eorum ingestio puluere opplebantur, ita vt aspectus adimeretur. Quæ vero Theodosiani tela iaculabantur, ea vehementiore,⁵⁰ quàm antè, impetu, ferebantur. Qua ex re, tanquam præsentis Dei auxilio, animati, tanta vi se in hostes intulerunt, vt ferre non potuerint, ac fugæ sese tradiderint. Hunc in modum vno prælio, vnoque die cum Eugenio debellatum Rufinus, Sozomenus, & Orosius prodiderunt. Quibus etiam assentitur S. Ambrosius, cum scribit: *Cum locorum angustis, & impedimentis calorum agmen Theodosij paulo serius**

serius in aciem descenderet, & inequitare hostiis prælij mora videretur, equo desiluit, & ante aciem solus progressus, ait: Vbi est Theodosii Deus? Theodoritus autem, & Zosimus biduo rem confectam scribunt hoc modo. Cum defectio Solis incidisset tanta, vt noctis tenebras adæquaret, Gotthi prope omnes, (decem millia fuisse feruntur,) vna cum Bacurio duce desiderati sunt. nox prælium diremit. Hoc detrimento allato, Eugenius per noctem in castra regressus, munera distribuere iis, qui se strenue gesserant, cœpit. &, tanquam nullo à Theodosio imminente periculo, vt corpora quiete curarent, præcepit. Theodosium vero, vt inquit Theodoritus, sui monuerunt, vt bellum in ver proximum prorogaret, ac maiorem exercitum compararet, vt multitudinem par esse Eugenio posset. Quod Theodosius se facturum negavit. ac per totam noctem Deum de victoria supplicavit. sub galliciniū vero somno victus, sibi videre visus est duos viros equis candidis insidentes, qui se bonum animum habere iuberent, &, vt prima luce in prælium rediret, monerent. nam ipsum victoria potiturum. quorum alter se Ioannem, alter Philippum apostolos esse dicebat. Hoc idem visum militi quoque apparuit, idq; per tribunum ad Theodosium detulit. Theodosius inde exercitum alloquutus, quæ sibi, & militi visâ in somnis essent, exposuit, atque omnes arma capere, & forti animo pro libertate, & fide pugnare præcepit, atque, illucescente die copiis in prælium eductis, hostes somno, vinoq; mersos inuasit. atq; inde eo, quo supra dictum est, modo cõfixit. Ceterum, cum in hoc articulo res Eugenij versarentur, cohortes eius aliquot, duce Arbitione, diuino se vrgeri numine arbitrantes, ac prorsus de victoria desperantes, ad Imperatorem venerunt, ac supplices veniam postularunt. omnes subito in fidem recepti cum eo, vt ad Eugenium irent, captumque ad se adducerent. Illi vero alacri cum clamore in collem, vbi is huius rei ignarus sedebat, citato agmine contenderunt. Eos vbi anhelantes venire prospexit Eugenius, victoriæ nuncios ratus, continuo, num viuam ad se adducerent Theodosium, est sciscitatus. cui illi, non illum ad te adducetes, sed te ad illum adducturi accessimus. atq; his dictis, ex folio extractum, victis post terga manibus, ad Theodosium perduxerunt. Theodosius, vbi in conspectum venit, quæ impie, ac nefarie aduersus Valentinianum commiserat, memorauit, ac religionem eius, qui Herculis auxilio confusus esset, irrisit. ac, sententia lata, caput ei truncari mandauit. id hasta præfixum, ac per castra circumlatum vbi Eugeniiani viderunt, repente, armis abiectis, deditioem fecerunt. Arbogastes, rebus abscissis, cum se in mōtes asperrimos recepisset, ac se cõquiri ad necē sentiret, post biduum sibi mortem consciuit. Hanc pugnam, atq; hanc victoriam descripsit etiam Claudianus, alloquens Honorium, cuius consulis, vt ipse ait, auspiciis est pugnatum:

victoria velox

*Auspiciis effecta tuis. pugnastis vterque
 Tufatis, genitorq; manu. te propter & Alpes
 Inuadis faciles: cauto nec profuit hosti
 Munitis hæsisse locis. spes irrita valli
 Concidit. & scopulis patuerunt claustra reuulsis.
 Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
 Obruit aduersas acies, reuolutaq; tela
 Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.
 O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
 Æolus armatas hyemes, cui militat ather,
 Et coniuurati veniunt ad classica venti.
 Alpina rubuere niues, & Frigidus amnis
 Mutatis fumauit aquis, turbaq; cadentum
 Staret, ni rapidas inuisset flumina sanguis.*

Quinetiam D. Augustinus libro v de ciuitate Dei ita scriptum reliquit: Valentiniano sine per insidias, sine quo alio pacto, vel casu proxime extincto, Theodosius alium tyrannum Eugenium, qui in illius Imperatoris locum legitime fuerat subrogatus, accepto rursus prophético responso, fide certus oppressit. contra cuius robustissimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnavit. Milites nobis, qui aderant, rettulerunt, extorta sibi esse de

manibus quæcunque iaculabantur, cum à Theodosii partibus in aduersarios vehemens ventus iret, & non solum quæcunque in eos iaciebantur, concitatissime raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Vnde & poeta Claudianus, quanuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes. tibi militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti.*

Victor autem, sicut crediderat, & prædixerat, Iouis simulachra, quæ aduersus eum fuerant, nescio quibus ritibus velut consecrata, & in Alpibus constituta, deposuit. eorumque fulmina, quod aurea fuissent, iocantibus, quod illa letitia permittebat, cursoribus, & se ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter, benigneque donauit. Narrant, eadem hora, qua pugnatum est ad amnem Frigidum, Constantinopoli in templo ad Septimum hominem dæmoniacum in sublime raptum, velut cum S. Io. Baptista contendentem illum conuiciis proscidisse, cum diceret, caput illi defectum esse. ac deinde addidisse: Tu me vincis, & meis copiis insidiaris. Qui vero aderant, dæmoniacum aliquid de bello, quod cordi erat omnibus, dicere arbitrati, diem, & horam notarunt. atque illo plane momento victoriam esse partam, haud ita multo post certis nunciis cognouerunt.

THEODOSIUS MAIOR AVG.

20

His rebus gestis, Theodosius, tanquam Occidentalis iam Imperij dominus, Aquileiam iniuit, atque Honorium filium Constantinopoli, & Mediolano Ambrosium episcopum euocauit. Ambrosius, missis nunciis, primum orauit, vt filios hostium, qui ad ecclesias confugerant, conseruaret, deinde ad eum Aquileiam processit. quem vt vidit Theodosius, ad pedes eius accidens, se precibus, & meritis eius incolumem esse asseruit. ac rogatu eius accidens, se precibus, ac rogatu eius miseris illis ignouit. De quibus eodem in loco sic Augustinus: *Theodosius inimicorum suorum filios, quos non ipse iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad ecclesiam confugientes Christianos hac occasione fieri voluit, & Christiana caritate dilexit. nec priuauit rebus, sed auxit honoribus, in neminem post victoriam priuatas inimicitias valere permisit.* Discessit inde Aquileia vna cum Theodosio Ambrosius, ita vt vno die ante illum Mediolanum accesserit. Theodosius autem, assumpto Honorio Mediolanum veniens vna cum eo de Eugenio triumphauit. vt Claudianus descripsit:

*Quantum iuuenes, quanta spreuere pudorem
Spectandi studio matres, puerisque, seueri
Certauere senes, cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus?*

His rebus magna felicitate confectis, paucis post diebus Theodosius in morbum incidit, qui aquæ inter cutem appellatur. quo ingrauescente, saluti suæ metuens testamentum condidit, atque Arcadio Orientem, Honorio Occidentem reliquit, atque illi Rufinum, huic Stilichonem tutorem constituit. Ianuario vero ineunte, Olybrio, & Probino cos. paulisper ex morbo recreatus, ludos Victoriæ edidit, atque eos animi causa ante prandium inspectauit. post prandium vero cum vehementius languere cœpisset, Honorio, vt interesset, mandauit. ac subsequente nocte xvi Kal. Februarij à vita migravit, anno ætatis lx, Imperij xvi mortem eius frequentes imbres, & solito tenebrosior caligo, & terræ tremor præcedens nunciavit. Fuit Theodosius inter omnes Imperatores memorabilis non solum, quia propria virtute, atque eximio Imperatoris iudicio ad illius est dignitatis culmen euectus, sed etiam quia in Imperio dignum se tanto fastigio præstitit, rep. non solum fortitudine, sed etiam pietatis Christianæ studio subleuata. quibus laudibus proxime ad Constantinum accessit. Honorius cadaver patris Constantinopolim inter Augustos sepeliendum misit. post diem autem quadragesimum Ambrosius in templo, ipso Honorio præse, laudauit. Extat illa oratio; in qua inter cetera hæc

hæc posuit: *Theodosii principis & proxime conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus diem, assistente sacris altaribus Honorio principe. quia sicut sanctus Ioseph celebrat quadragesimam patris Iacob supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosii quadragesimam, qui imitans Iacob, supplantauit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulachra gentium. omnes enim ceremonias obliterauit. qui etiam iis, qui in se peccauerunt, doluit, quam dederat. periisse indulgentiam. & veniam denegabant, sed non negabunt filij, quod donauit pater. Nunc se regnare Theodosius cognoscit, quando est in regno domini Iesu Christi, & considerat templum eius. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulchram dulcissima sibi pignora, quæ hic amiserat. quando eius Flaccilla adheret fidelis anima Deo, quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino adheret. cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen, quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum repperit. Fles Honori, & lacrymis piæ testificari affectum. quod in honorum adhuc honore tumuli patris corpus per spacia multa transmittis? fles, quod non usque Constantinopolim reuerendas reliquias ipse prosequeris? eadem tibi causa nobiscum est. Ne vereare, ne inhonore videantur, quocumq; accesserint, reliquie triumphales. non hoc sensit Italia, quæ claros spectauit triumphos, quæ à tyrannis interim liberata concelebrat suæ libertatis auctorem. non hoc Constantinopolis, quæ secundo ad victoriam principem misit, quem cum vellet tenere, non potuit.*

20

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER X.

30 HONORIVS AVGVSTVS.

THEODOSIO exempto, simul etiam robur, ac dignitas ipsius titubare Imperij cœpit. Neque enim aut in Arcadio, qui Orientem, aut in Honorio, qui Occidentem accepit, ad impendentem malorum tempestatem sustinendam satis aut neruorum, aut animi fuit. His vero cladibus causam attulit, primum imbecilla vtriusque principis ætas, quod ille nouemdecim, hic decem duntaxat annos natus, parum rebus tantis administrandis erat idoneus; deinde nefaria Rufini, & Stilichonis, qui tutores hærebant, improbitas. qui, captata puerorum occasione, certatim animum ad inuadendum Imperium per omne genus sceleris, ac perfidiæ contulerunt. Nam cum ambo tanta habendi cupiditate flagrarunt, vt ius venale omne habuerint, neque vllum ad conficiendam pecuniam iniuriæ genus omiserint, tum se tanto inter se odio persequuti sunt, vt alter alterius euertendi causâ humana, diuinâque omnia permiscuerit. His accessere barbari, qui prioribus annis in fines Romanorum accepti, atque honoribus militaribus, exclusis veteribus Romanis, ornati, eo insolentiæ venerant, vt iam non seruire, sed dominari, neque iussâ Imperatorum expectare, sed eorum temporibus inhiare, viderentur. Quæ mala cum Synæsius Cyrenarum antistes videret, orationem ad nouum Imperatorem Arcadium scripsit, in qua cum alios principum mores reprehendit, longe à disciplina vetere dissidentes, tum maxime, quod, despectis Romanis, barbaros colerent, neque imminens ex ea re periculum prouiderent. Placet autem eius orationis summam in hos annales intexere, quod præsentem, & futurum reipublicæ statum mirifice possit illuminare: *Debet, inquit, rex assidue cum militibus suis versari; in primis autem cum iis, quos agri, quos vrbes, quos denique vniuersa*